

*lusitanus.* 5. CERAMBYX thorace spinoso, corpore toto testaceo, elytris fascia undulata pallida.

*Habitat in Lusitania.*

Corpus magnitudine Culicis, totum testaceum, etiam Pedibus antennisque, subcylindricum. Thorax utrinque spina minutissima. Antennæ ferrugineæ, corpore paulo longiores. Elytra in medio fascia obsoleta, pallida, linearis, repanda.

*balteus.* 6. CERAMBYX thorace spinoso, corpore ferrugineo, ab domine ovato: elytris fascia nigricante.

*Habitat in Lusitania.*

Corpus magnitudine Culicis, totum ferrugineum. Antennæ corpore vix longiores. Thorax obscurius ferrugineus spina utrinque minutissima. Abdomen gibbum, ovatum, obtusum. Elytra ferruginea, in medio fascia lata, nigra, margine postico albo repando.

*punctatus.* 7. CERAMBYX thorace mutico subcylindrico, totus viridis punctis nigris, antennis mediocribus.

*Habitat in Lusitania.*

Similis *C. scalaris*, totus viridis. Antennæ nigrae, longitudine corporis. Thorax punctis nigris 8. Elytra singulariter punctis 6 nigris. Abdomen utrinque punctis nigris.

*maffilien-* 8. LEPTURA thorace subgloboso nigra, elytris fasciis subtribus albis introrsum fractis.

*Habitat in Lusitania. Massiliæ.*

Corpus facie Lept. mysticæ, sed triplo minus, totum nigrum. Elytra picta fasciis linearibus, tribus, omnibus antrorsum fractis, ut in *Leptura arietis*, sed albis, quarum ultima obsoleta, ad ipsum apicem elytrorum. Sub collo & thorace macula nivea. Abdominis incisuræ margine laterali albæ.

*focialis.* 9. ELATER fuscus, antennis elytrorumque marginibus ferrugineis.

*Habitat in Lusitania.*

Magnitudo *E. pectinicornis*, totus fuscus. Elytra tenuissime striata, margine tam exteriore quam interiore ad suturam longitudinalis rufa s. ferrugineo.

*manca.* 10. BUPRESTIS aurata, thoracis lineis duabus elytris que fuscis.

*Habitat Monspelii; in Lusitania.*